



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

De timendis. Cap. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

PORRO cū nemo sciat, odio an amore sit dignus; & in multis bonarum omnium rerum authorem & principem Deum offendamus; proponet initium sapientia esse timorem Domini: Deum timendum, quia, cū omnia ex nihilo fecerit, vno etiā ictu eadem potest ad nihilum redigere: timendam eternam pœnam; timendum horribilem illum Iudicij diem; timendos, aut potius horrendos cruciatus Inferni: horribilem diem iudicij proponens, David verba proferet, Deus manifestè veniet: Deus ipse, & non silebit: ignis ante ipsum præibit, & tempestas valida: aduocabit caelum desursum, & terram discernere populum suum: & omnes, nulla habita nobilitatis aut scientia ratione, stabimus ante eius tribunal: vbi eum, quem patrem misericordia nolimus agnoscere, iustum iudicem experiemur. Dicat eo die, vt sanctus scribit Augustinus, futurum fletum, & stridorem dentium, vlulatum, & lamentationem, & tardam pœnitentiā: quando mouebuntur fundamenta montium, & ardebit terra, vsque ad inferos deorsum: quando, teste Apostolorum principe, cali ardentis soluentur, elementa ignis ardore tabescent: quando, vt Saluator noster ait, etiam virtutes calorum mouebuntur: quando Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum, & stella cadent de caelo. Ostendet deinceps nihil inferno esse posse horribilius; horribilem esse priuationem visionis Dei: illum esse lacum sine mensura, profundum sine profundo, plenum ardore, & fœtore intolerabili; nullum esse ordinem, horrorem aeternum, nullam spem boni, nullam mali fugam.

De